

1918
234
13

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE
**PRÆSCRIPTIONE
NONAGENA-
RIA,**

QUAM
ADNUENTE DEO
IN ALMA FRIDERICIANA,

PERMISSU

AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS,

5.

PRAESIDE

DN. JAC. FRIDER. LUDOVICI, JCto,
POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO
AULICO ET PROFESS. JURIS ORDIN.

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA CAPESSENDI,

IN AUDITORIO MAJORE

horis locoque consuetis

DIE DECEMBER MDCC XVIII.
publico Eruditorum examini submittet

AUTOR
JOHANNES JACOBUS SEEFELD,

PVRIC. POMERAN.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
PRÆSCRIPTIONE
NONAGENARIA.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

Præscriptio litibus finem imponit & hinc admodum utilis
est, §. I. ea quidem jure Romano veteri incognita erat, po-
rea tamen propter eandem utilitatem introducta, §. II. præ-
scriptionis vocabulum in jure Romano capitulatur vel generaliter,
vel specialiter. Acceptio specialis hoc pertinet, §. III. Præ-
scriptio, quæ intentionem actoris excludit, est vel juris natu-
ralis, vel civilis. Fundamentum præscriptionis juris natu-
ralis est tacita derelictio, §. IV. confutatur Vasquii adsertio,
quod non detur præscriptio inter gentes Grotius sibi ipsi con-
trarius, §. V. Fundamentum præscriptionis juris civilis est
pena negligentiae. Homines negligentes in republica sunt ex-
istiens, §. VI. utrum is, cuius res præscripta est, contra præscri-
ptionem restitutionem in integrum petere possit ex capite igno-
rantiæ? adfirmat questionem Zangerus, §. VII. in constitu-
tionibus Saxoniceis electoralibus questio decisa est, ita, ut con-
tra præscriptionem longissimi temporis non concedatur resti-
tutio, §. VIII. extra Saxoniam restitutioni nunquam locus est,
quod rationibus & autoritatibus DD. confirmatur, §. IX. præ-

4 CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

scriptio juris naturae & ciuilis in aliquibus conueniunt, §. X.
in aliis vero a se inuicem differunt, §. XI. respondeatur Simo-
ni, qui jure nature bonam fidem requiri existimat, §. XII. de
requisitis præscriptionis juris ciuilis remissive. §. XIII. diffe-
renzia inter iufuptionem & præscriptionem secundum jus Ro-
manum vetus, que quidem abrogata, aliqua tamen adhuc re-
mansit, §. XIV. præscriptionum varia tempora, §. XV. que-
stio principalis hic pertinens: an detur præscriptio nonagen-
aria? quam nonnulli eo casu statuunt, quando liberi heredita-
tem paternam petunt, imo alii eam plane ad centum & virginis
annos extendunt, §. XVI. opinionem de præscriptione nona-
genaria jam olim fuit Bartolus, §. XVII. Baldus, §. XXIX.
de aliis veteribus DD. remissive. Ex recentioribus præscri-
ptionem nonagenariam defendit Carpzouius, Philippi, aliqui,
§. XIX. ex mente horum DD. præscriptio illa est jus seng-
lare & exorbitans unde præter liberos ad personas extraneas
extendi non debet, §. XX. Dionysius Gorhofredus opinionem
Bartoli nude recenset, non vero addit, quid ipse sentiat, §. XXI.
Brummermannus de triplicata præscriptione jam dubitare cepit,
§. XXII. Strykius argumentum a successione praetoria ad ci-
uilem non admittit in punto juris, §. XXIII. nostra opinio,
non dari præscriptionem nonagenariam. Methodus dicendo-
rum, §. XXIV. regula generalis est, quod hereditatis petitio-
ni spatio 30. annorum præscribatur. Exceptio, quod liberi in-
tra 90. annos eam actionem instituere queant, in legibus nulli-
bi reperitur, §. XXV. reipublicæ interest, ut expressa alia le-
gis dispositione deficiente tempora præscriptionum potius co-
ordinetur, quam nimium extendantur, §. XXVI. Carpzouius
aliisque mentem veterum & in specie Baldi probabiliter non
sunt adsecuti, §. XXVII. Baldus loquitur de hereditate ja-
cente & de iure ipsam adeundi, §. XXIX. quod ulterius

est

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS. §

estenditur. Lepida Baldi philosophia, §. XXIX. a jure ad-
eundi vacuam hereditatem ad jus eam petendi, quæ jam ab
aliquo possessa est, intuitu præscriptionis non valer consequen-
tia, § XXX. argumentum Baldi, Carpzovii & reliquorum,
intuitu præscriptionis hereditatis petitionis, §. XXXI. quod
refellitur, §. XXXII. confusa hodie sunt agnatorum & cogna-
torum nomina & jura, §. XXXIII. aliae rationes contrapræ-
scriptionem nonagenariam suffultæ autoritate Dn. Cocceji, §.
XXXIV. XXXV. ne quidem ex jure prætorio tres anni li-
beris concedebantur, sed ut agnati centum dies & ut cognati
idem spatum saltem habeant, §. XXXVI. successorum edi-
tium non pertinet ad successionem testamentariam, §. XXXVII.
nostra opinio non est singularis, sed multorum ICtorum auto-
ritati superstructa, §. XXXVIII. av dissidentium opinio in
præci recepta sit? Carpzonius hoc adserit, §. XXXIX. quod
sorsan concedi potest de Saxonia electorali, quamdiu Carpzonii
autoritas ibi prævaluit, §. XL. sed ab illis temporibus ad bo-
dierna non valer consequentia. Testimonia DD. quod sen-
tentia a nobis defensa in curia Halberstadiensi & dicasterio
Hannoverano recepta sit, §. XLI. pro illa etiam respondit fa-
cultas juridica Hallensis, §. XLII. generaliter in aliis pro-
vinciis pro obseruantia juris communis præsumendum, §.
XLIII. hodie nec in Saxonia Carpzonii sententia amplius re-
cepia est, §. XLIV. testimonia celeberrimorum ICtorum Sa-
xonicorum. Bergeri, §. XLV. Wernheri, §. XLVI.
Lynckeri, §. XLVII. conclusio totius dissertationis, §.
XLIX.

§. I.



Dmodum utilem esse præscriptionem eamque valde necessariam, ipsa ratio naturalis, publicam civilis societatis salutem respiciens, dicitat. Namque distinctionis inter gentes dominis rerum, necesse quoque fuit, ut inueniatur modus, quo & ad evitandas confusiones penitusque extirpandas lites certa essent dominia, quæ tamen semper in incerto mansissent, si negligentia priorum dominorum in perpetuum indulsum fuisset, sic enim, quia hi perpetuo rem vindicare potuissent, nemo facile rem aliquam sibi comparasset, metu deterritus, ne post longissimum quoque tempus rem iterum restituere teneatur. Ergo sine præscriptione firma non possunt esse humana commercia, graues enim & infirmitates exorirentur in republica turbæ, si tot essent rescindendi contractus, tot successiones exinanierant totque successores expellendi, quare suauissimus ille Romani Orator, Tullium puto, finem sollicitudinis eam vocat & litium in orat. pro Cœcinn. Eleganter Pufendorff de J. N. & G. l. 4. c. 12. §. 2. in fin. de præscriptione longissimi temporis hæc quoque subjungit: *quia intra 30. annos genus humanum aliam fere faciem induit, inconveniens visum, ob qualemque factum, sequens seculum lites posse inquietari, conf. Simon in not. ad Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 1. verb. de usucapiendi jure. Huber ad tit. J. de perpet. & temp. act. §. 2. qui tradit, quod Græci spatium*

um triginta annorum *reveras generationem*, vocent ejus-
que decursu actionum vitam circumscripterint.

§. II.

Quamvis vero hæc satis evidenter sint, nihilominus tamen præscriptio actionum jure ciuili veteri in nonnullis casibus incognita erat, quod ipse Imperator testatur *in pr. J. de perp. & temp. act. hoc loco*, inquit, *admonendi sumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, senatus*sue* consulo, siue ex sacris constitutionibus proficiuntur, perpetuo solere antiquitus competere; donec sacrae constitutions, tam in rem, quam in personam actionibus certos fines dederunt*. Ergo, postquam incommodum ex ejusmodi perpetuitate proueniens deprehendebatur, certus terminus cuilibet actioni per sacras constitutiones statuebatur, quo præcipue pertinet *I. 3. C. de præscript. 30 & 40 annos*. ubi imperatores Honorius & Theodosius, postquam constituerant, *eas actiones annis triginta continuis extingui, quæ perpetuae videbantur, non illas, quæ antiquis temporibus limitabantur, addunt, quod post eam temporis definitionem nulli mouendi ulterius facultas competere debeat, etiam si se legis ignorancia excusare tentauerit*. Ergo nunc præscriptio inter modos adquirendi juris ciuilis refertur, prout videre licet ex *J. ult. J. de usu & habitat. junct. princ. J. de usucap. & I. 3. f. de usurpat. & usucap.* non quidem eo sensu, ac si nullo omnino juris naturæ gaudeat fundamento, aut apud nullos populos in usu fuerit; sed quia jus ciuile varia requisita intuitu præscriptionis constituit, quæ jure naturæ ita præcise non determinantur.

§. III.

Præscriptio sumitur alias vel generaliter in jure ciuili

8 DISSERTATIO INAUGURALIS

ciuili & idem est ac exceptio, quæ on nem rei defensionem
indigitat, diciturque exclusio intentionis justæ quidem
in se, sed respectu rei injustæ, conf. pr. f. de except. vel
specialiter, & est exceptio, quæ intentionem petitoris
propter lapsum temporis & ejus negligentiam excludit.
Atque hæc acceptio specialis in præfenti ad nos
spectat.

§. IV.

Præscriptio, quæ intentionem petitoris excludit,
est vel juris naturalis, vel ciuilis. De utraque specie
separatim agendum erit. Fundamentum præscripti-
onis juris naturalis est tacita derelictio antiqui posse-
foris, qui, ut verbis illustris Thomasii in *Jurisprud.*
diuin. l. 2. c. 10. §. 104 seqq. utamur, ratiocinatione a com-
muni hominum conluetudine petita, rem pro dereli-
cta habere præsumitur, quam per longissimum tem-
poris spatium neque vindicavit, neque ejus vindicandi
desiderium publice declarauit, unde si quoconque mo-
do quis intra id tempus possessori serio contradix-
erit, vel solum titulum usurpauerit, præscriptio inter
gentes non currit. Ad illustrationem eorum; quæ de
præsumpta derelictione diximus, quodammodo per-
tinet *l. 28. ff. de V. S.* ubi Paulus: *alienationis verbum ei-*
jam usucacionem continet: vix est enim, ut non videatur
alienare, qui patitur usucapi. Eum quoque alienare dici-
tur, qui non utendo amisit seruitutes. Scilicet omnis ali-
enatio a declaratione voluntatis alienantis dependet.
Hæc declaratio vel expressa est, vel tacita, quando
quis jus suum negligit, quo tamen uti illudque pro-
sequi poterat, quod a circumstantiis facti dependet.
Tacita interim derelictio eandem cum expressa vim
atque

atque effectum habet, conf. quoque Pufendorff de *J. N. & J.* l. 4. c. 12. §. II. qui quidem circa vocabulum *usūcōpiōnis* dubium aliquod mouet, non vero circa ipsam rem, quoniam ipse fatetur, quod in hoc causarum genere pro jure possessoris magnam adferat præsumptionem, quod nemini intra tantum temporis spatium in mentem venit, juris quid eam ad rem prætendere.

§. V.

Evidem Ferdinandus Vasquis *illust. controuersiæ* l. 1. c. 51. §. 23. & Hugo Grotius *de mar. lib. c. 7. ab init. præscriptionem* inter duos populos liberos, aut reges, populumque liberum & regem locum habere negat, eamque merum invenitum juris ciuilis esse adserit; verum Vasquis non probat adseritum, unde quæ alias adducit, quod scilicet jus ciuale unius principis, aut populi, alterum principem, aut populum liberum non teneat, quod princeps alterius principis legibus sit solutus, &c. ad rem plane non pertinent. Grotius in tractatu *de mar. liber. studia partium seclaturus est*, in opere *de J. B. & P.* vero l. 2. c. 4. §. I. rectius judicat, dicens, quod si Vasquis sententiam admittere velimus, sequi videatur maximum incommodum, ut controuersiæ de regnis regnorumque finibus nullo unquam tempore extinguantur, quod non tantum ad perturbandos multorum animos & bella ferenda pertinet, sed & communis gentium sensui repugnat, v. Seldenus *de mari clauso* l. 1. c. 76. p. m. 195. Et sane inter gentes eo magis obtinere debet præscriptio, quo grauioribus motibus publicæ possessiones, quam priuatorum inquietantur, add. Pufendorff de *J. N. & G.* l. 4. c. 12. §. II. Scriptori gallico, Petro Puteano,

B

jam.

jamidum respondit Johannes Werlhofius, decus quoniam academiæ Juliæ, in *dissert. de præscriptione inter gentes liberas.* Nostri instituti non est, ut huic quæstiōni in præsenti diutius inhæreamus.

§. VI.

Progradimur itaque ad præscriptionem juris *civilis.* Hujus fundamentum est poena negligentiae pristinorum dominorum. Quemadmodum enim illi exosi sunt, qui res suas, quas acī possident, perdunt atque dissipant, quoniam reipublicæ expedit, ne sua re male quis utatur, §. 2. *J. de his, qui sui vel alien. iur.* ita ex eodem fundamento lex illos odio prosequitur, qui quidem possessionem rerum suarum amiserunt, ita tamen negligentes sunt, ut nulla cura earum rerum tangantur, quamvis adhibita debita diligentia in inquirendo & peruestigando amissam possessionem facili negotio recuperare potuerint. Bono publico, inquit Gajus in *l. i. ff. de usurp.* & *usucapio introducta est, ne scilicet iurundam rerum dominium fere semper incerta dominia essent: cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatum.* Eodem modo in poenam negligentiae amittuntur omnia iūra, quibus quis inter præsentes decem, inter absentes autem viginti annis usus non est, ubi tamen occasio utendi non deerat, *l. pen. C. de seruit.* Ergo ex diuerso, ubicunque nulla deprehenditur negligentia, ibi nulla quoque currit præscriptio, ut intuitu pupillorum, minorennum, v. l. 48. *pr. ff. de A. R. D. l. un. C. si aduers. usuc. sp. l. s. C. in quib. eius. in int. rest.* intuitu filiifamilias, cuius bona aduentitia pater alienauit, quamdiu patria potestas durat, nec non uxoris durante matrimonio, si maritus fundum doctalem alienauit & generaliter: agere non valenti non cur-

DE PRÆSCRIPTIONE NONAGENARIA. II

currit præscriptio, l. 30. C. de jur. dot. auth. nisi tricennale C.
de bon. matern. l. i. §. 2. in fin. C. de a.m. except.

§. VII.

Ex adductis nunc facile etiam decidi potest quæ-
rio: utrum is, cuius res præscripta est, contra præscriptio-
nem restitutioem in integrum petere possit, & quidem ex ca-
pite ignorantiae? adfirmat eam Zangerus de except. l. 3. c.
10. §. 226. seqq. & pro sua opinione tuenda ad commu-
nem opinionem, quæ eo teste in foro frequentatur, pro-
vocat, juxta quam opinionem non tantum longi, sed
& longissimi temporis præscriptio rescinditur, modo
ignorantia probabilis & justa sit, ac intra quatuor annos
a primo scientie tempore computandos restitutio fla-
gretur. Testes pro prætensa communi opinione Ti-
raquellum, Crauettam, Boerium & Gailium producit.

§. VIII.

Quod Saxoniam attinet, adducta quæstio decisæ est
in *conf. elec. 9. part. 2.* hoc modo, ut contra præscriptio-
nem 30. annorum, anni & diei nulla restitutio ex capi-
te ignorantiae concedi debeat, ex quo infert Carpzouius
d. conf. def. 1. quod eidem tamen contra præscriptionem
analem locus concedatur. In electoratu Saxoniae ita-
que res dubio caret. Sed quid de aliis prouinciis juxta
genuina principia juris statuendum? Zangerus *loc. cit.*
restitutionem ubique contra quamlibet præscriptionis
speciem concedendam esse hoc modo probare nititur:
si enim, inquit, non valenti agere, non currit præscri-
ptio, l. i. in f. C. de ann. præscript. decis. capell. Tholof. 67.
Panormir. conf. s. cur non ignorantij jus suum? & pro-
pter ea, addit, non valenti agere saltem restitutio in

B 2

inte-

integrum succurrendum esse ex clausula generali, si alia
justa causa mihi videbitur.

§. IX.

Sed, quod pace Zangeri dictum sit, ratio ab illo ad-
ducta parum in recessu habere videtur. Ab initio enim
ipfis nouis Justinianis notum est, quod ignorantia supi-
na semper noceat, *l. 6. ff. de jur. & fact. ignor. que deper-*
diti & nimium securi hominis est, l. 3. §. 1. ff. eod. & recte
*Labeo definit, scientiam neque curiosissimi, neque ne-
gligentissimi hominis accipiendam, verum ejus, qui*
eam rem diligenter inquirendo notum habere posuit,
l. 9. §. 2. eod. unde scire & supine ignorare, paria sunt.
Gothofred. ad l. 55. ff. de aedilit. edit. Hisce præmissis
quilibet animaduertit, argumentum Zangeri a diuersis
ad diuersa procedere. Regula enim, quod agere non
valenti non currat præscriptio, loquitur de eo casu,
quando *impedimentum juris* adeat, prout supra §. VI. in fin.
de filiofamilias & uxore vidimus, add. Finkelth. obf. §3.
n. 14. Brunnem. *repet. paratit. Wesenbec. iii. de usucop. qu. 3.*
ignorantia autem, de qua nos in præsenti disputatione
est *impedimentum facti & quidem culpabilis*, tunc ab illo
ad hoc non valet consequentia. Deest quoque *juxta*
causa, propter quam prætor alias ex clausula generali re-
stitutionem in integrum concedit. Vigilantibus jura
scripta sunt, non vero supine ignorantibus & negligen-
tibus, unde nec agnoscamus adsertum nonnullorum
DD. qui statuunt, quamlibet ignorantiam excusare, si
quis de damno vitando certet, quod hic fieri putant, quo-
nam is, qui restitutionem contra præscriptionem petit,
damni reparationem intendit, quod ex amissione rei
sue sentit v. Struu. S. I. C. exerc. 28. tb. 60. negamus enim,
quod

quod de vitando damno certet, quia damnum non est, quod quis sua culpa sentit, l. 203. ff. de R. I. negligentia autem est culpa, l. 213. §. 2. l. 226. ff. de V. S. Si autoritates DD. veritati sententiæ a nobis defensæ pondus aliquod superaddunt: a nostris partibus stantes laudare possimus Brunnemannum ad l. fin. C. de præscript. long. temp. Hahn. ad Wesenbec. tit. de usurp. & usuc. n. 14. verb. ramen etiam, qui ita judicatum fuisse testatur, addens, quod admissa sententia adfirmativa jus usucaptionum plane euteretur, & quod sola DD. autoritas adtendenda non sit, sed an quid legibus decisum, aut iisdem conueniat, Struvi. s. I. C. exerc. 8. th. 76. qui inter alia ad l. fin. in f. C. de præscript. long. temp. prouocat, ubi imperator Justinianus dicit, quod in usucapione *nulla scientia, vel ignorantia exceptanda, ne dubitacionis inextricabilis oriatur occasio.*

§. X.

Præscriptio juris natura & ciuilis juxta ea, quæ supra adduximus, in eo conuenit, quod utraque in odium negligentia introducta fuerit, jure naturali ita, ut ex negligentia tacita derelicio inferatur, jure ciibili autem per modum pœnae. Porro utroque jure præscriptio rerum hoc operatur, ut non solum tutus sit, qui præscripsit, quamdiu in rei hoc modo adquisitæ possessione constitutus est; sed ut quoque facultatem habeat, rem iterum recuperandi, in statu naturali per bellum, in ciibili per institutam actionem, si possessione forsan excedit. Hi enim ubique sunt effectus juris, quod quis seneat rite & perfecte sibi quaesuit.

§. XI.

Ex diuerso autem præscriptio juris naturalis ab ea, quæ juris ciivilis est, in hoc præcipue differt. Illa uni-

B 3

cum

cum requisitum habet, scilicet possessionem quietam per longissimum tempus, id est, talem possessionem, quam pristinus dominus nunquam recuperare intendit, quamvis recuperandi occasionem habuerit, aut quando pristinus ille dominus tali occasione deficiente non fecit, quæ facere tamen potuit, & sic eo ipso animum non-deleri quendi non declarauit, v. g. per usurpatiōnē tituli, per invasionē bellicā, quamuis illa male cesserit, illustr. Thomasius in jurisprud. diu. l. 2. c. 10. §. 195, unde ex hoc capite Jacobus ille Anglus, quem vulgo prætentem vocant, jus suum, si quod habuisset, nondum amisisset, qui infelici exitu omnia fecit, quæ facere potuit. De bona fide & justo titulo nihil tradit jus naturæ. Imo, dum pristinus dominus rem dereliquit, eo ipso possessor in bona fide est & titulum quoque habet, si quis haec de jure naturæ requiri putaret. Nam & ipso jure ciuiili in acquisitione seruitutum exercitium unius & patientia alterius loco tituli est, ac præterea in occupatione bellica modus adquirendi cum titulo concurrit.

Et ex hisce, nunc facile etiam satisfieri potest dubio, quod de bona fide secundum jus nature mouet Simon in not. ad Grot. de J. B. & P. L. c. 4. §. 8. n. 1. verb. in perpetuo peccato versari. Discedimus hic, inquit ille, ab opinione Grotii cum Dnn. Seld-no & Zieglero. Dominus siquidem tacendo male fidei possessorem a peccato non liberat, licet tacite dereliquerit, quamdiu enim (possessor) in opinione est, rem possēsum alterius esse, tamdiu in peccato versatur. Ad officium ergo domini pertinet, potius aperte illi denare. Quin hoc modo sequeretur, omnes rati-

furto ablatas pro derelicto habendas esse, ne fur diuinus maneat in peccato. Respondemus, eum, qui in bello occupat, nunquam fuisse in mala fide, quod enim in iudiciis est sententia favorabilis, illud in bello victoria. Et posito, quod tamen difficulter ponit potest, eum ab initio in mala fide fuisse, eo ipso tamen, dum alter de re recuperanda, vel jure conseruando nullo modo sollicitus est, in bona fide jam constituitur, & se rem voluntate prioris domini possidere iuste existimat atque neutiquam in opinione est, rem alterius adhuc esse, unde in peccato non versatur, nec opus est, ut pristinus dominus aperte illi donet. Si quis ferat, præsumptionem potius esse, quod quis sua ferare velit; respondetur, validiorēm esse alteram præsumptionem, quia credibile non est, quemquam ejus, quod vult, longo tempore nullam plane edere significationem idoneam, Grot. de J. B. & P. I. c. 4. §. 8. n. 4. conferri etiam hic possunt duæ dissertationes illustr. Cocceji de jure victorie diuerso a jure belli, item de iusto præliorum exitu, & quæ de requisito bona fidei juxta jus canonicum etiam in præscriptione longissimi temporis necessario differit illustr. Thomasius in fundam. jur. nat. & gent. l. 2. c. 10. §. 14. seqq. Quæ denique Simon adfert de rebus furto ablatis, ea hue plane non pertinent, cum a fure ad belligerantem non valeat consequentia.

§. XIII.

Jure ciuili ad solam possessionem & temporis lapsum in præscriptionibus rerum non respicitur, & quantum eo jure in præscriptionibus actionum ille lapsus solus sufficiat, jus canonicum tamen & hic bonam

nam fidem necessariam esse constituit, de quo pluribus illustr. Coccej. in duob. disp. de finibus bona fidei in prescriptionibus de jure canonico, & illustr. Thomasius in disp. de perpetuitate debitorum pecuniariorum. Primum igitur requisitum juris civilis & canonici est hæc bona fides, deinde adesse etiam debet iustus titulus, res non vitiosa, tempus legitimum & denique continua possessio. Cum vero hæc vulgo nota sint, circa ea fusius explicanda in praesenti nos non detinebimus.

§. XIV.

Usucapio & præscriptio jure veteri Romano profus differebant. Usucapio in rebus in Italia sicuti solum obtinebat: præscriptio autem intuitu rerum in provinciis sitarum. Res Italicae mobiles anno, immobiles biennio usucapiebantur: in prouinciis sive longo temporis spatio decem, vel viginti annorum præscribebantur, pr. J. de usucap. l. un. C. de usucap. transform. Usucapio rerum Italicarum & exceptionem & actionem: præscriptio rerum in prouinciis sitarum solam exceptionem præscribenti tribuebat, d. l. un. l. un. C. de nud. jur. quir. toll. unde Struu. S.I.C. exerc. 43. th. 5. præscriptionem & usucaptionem jure antiquo ratione obiecti, temporis & effectus differre dicit, add. Stryk ad tit. C. de emm. except. toll. & ad tit. C. de usucap. transform. Meier. in colleg. argentor. tit. de usurp. & usuc. th. l. Justinianus vero usucaptionem & præscriptionem illam pristinam confudit; ac inter se miscuit, ut nunc utriusque unus idemque sit effectus, nec amplius ad locum ubi res sita sit, respiciatur, dd. LL. unde celsa etiam differentia inter dominium quiritarium, quod olim in Italicis, & boniarij, quod in prædiis prouincialibus quon-

quondam obtinebat, conf. Huber in *prælect.* ad tit. *3.*
de usucap. §. 3. & 4. Hodie itaque vox *adulm* usucapi-
 onis & præscriptionis intuitu adquisitionis rerum cor-
 poralium promiscue usurpatur & hinc nemo peccat,
 siue dicat, se v. g. equum, vel ædes usucepisse, vel præ-
 scripsisse. Derebus incorporalibus, v. g. servitutibus,
 usucapio quidem non prædicatur, sed præscriptio so-
 lum; interim tamen & hæc præscriptio non solum ex-
 ceptionem, sed & actionem producit. Aliud in præ-
 scriptione actionum, ubi usucaptionis vocabulum ad-
 plicari nequit, quoniam usucapio possessionem suppo-
 nit, & ubi præscriptio ex rei natura non nisi exceptio-
 nem producere potest, conf. Hopp. in *comment. ad rubr.*
Inß. de usucap.

S. XV. Ultimus hic significatus ad nos in præsenti per-
 tinet, quoniam de præscriptione actionis alicujus, sci-
 licet hereditatis petitionis agimus. Varia autem sunt
 tempora præscriptionis actionum. Aliæ actiones tri-
 ennio, v. g. vindicatio rerum mobilium, aliæ decennio,
 vel vicennio, ut vindicatio immobilium, aliæ longissi-
 mo tempore, id est, triginta annorum, ut actiones ex
 contractibus & delictis rei persecutoriæ, exspirant.
 Aliis quadraginta demum annis, ut actioni hypothe-
 cariæ, actionibus ecclesiæ, ciuitati, competentibus præ-
 scribuntur, aliquando tempus immemoriale plane re-
 quiritur. Multa de haec materia diuersi autores con-
 geserunt, Quintil. Mandosius *de casibus annualibus*,
 Cynus Muxellanus *de præscriptionibus*, Antonellus *de*
tempore legali, Albericus Gentilis *de diuersis temporum*
appellationibus, Cujacius *de diuersis temporum præscripti-*

onibus

G

onibus & terminis, Oldendorpius, ceteri, quorum tradi-
ta per indice exhibentur in B. Strykii tractatu de in-
uestig. action. scđ. 4, quamvis diffiteri non possimus, quod
illi DD. fatalia & alia non confundenda cum præscri-
ptionibus s̄aepe confundant & plane aliena admisceant.
Quis enim, ut unicum hoc adferamus, ad materiam de
temporibus prescriptionum preferret, quod sacra scri-
ptura Esa. 65. v. 20, puerorum centum annorum memine-
rit, hocque in jure canonico c. 28. caus. 2. qu. 2. repetitum
fuerit?

Sed missis adlatis ut & aliis præscriptionum pro-
prie sic dictarum speciebus, in præsenti, nobis excuti-
enda erit quæstio: *utrum detur præscriptio nonagenaria?*
adfirmatiua nonnulli defendunt, eo scilicet casu, quando
liberi hereditatem paternam petunt, ubi triginta annos ipsis
concedunt *tamquam liberis*, alios triginta *tamquam agnatis*,
& alios adhuc triginta, si priores sexaginta elapsi, siue
cognatis, atque hoc procedere addunt, siue de paterna, siue
materna, siue etiam de auita hereditate quæstio sit. Imo
nonnulli ultra triplicatum illud tempus adhuc triginta
annos concedunt, ut scilicet suus heres, qui *in patris sepa-
mento institutus* fuit, si 30. annorum spatio exclusus est ab
agnoscenda patris hereditate, possit nihilominus *ab in-
terfago succedere tamquam suus heres intra alios 30. an-*
nos, tunc post eos 30. annos intra aliud tricennium tam-
quam agnatus proximus, & ut denique nonaginta illis
annis lapsi habeat adhuc alios 30. annos, intra quos eam
hereditatem adire possit tamquam cognatus, atque hoc
modo spatium centum & viginti annorum constituar-
tur, prout refert Anton Faber *de error. pragmat. part. I.*
decad.

*decad. 3. error. 8. & post eum Philippi in usū pract. Inst. l. 3.
11. 10. §. 2. & 4. eclog. 34. n. 7.*

§. XVII.

Non est noua illa de nonaginta annis opinio, aut
nudius tertius demum nata, sed ex veteribus jam non
nulli eandem foverunt. In corpore juris glossato qui-
dem nos nihil inuenire potuimus; interim tamen no-
nagesuarie præscriptionis mentionem injicit Bartolus
comm. ad l. 1. ff. de successor. edict. ad verbū qui semel in ad-
di. ubi habetur, contuluisse illum, quod filia exclusa à
successione matris ex testamento per lapsum 30. annos
rum, posset venire ab intestato intra alios 30. annos, &
ad huc elapsis his 30. annis & sic 60. quamvis sit exclusa
a primo capite undeliberi, quod tamen adhuc intra a-
lios 30. annos posset venire ex sequenti capite. Pro-
uocat quoque ad hunc Bartolus Gothofredus in not. ad
d. l. 1. ff. de successor. edict. notandum interim, quod, quia
Bartolus de hereditate testamētaria loquitur, ille re-
cedat ab istis, quorum mentionem in §. p̄ecep. fecimus,
quippe qui in ejusmodi casu tempus 30. annorum qua-
druplicabant, Bartolus autem triplicatum faltem iſtatuīt.

101. 3. v. endic. §. XVIII. urbs mem. BA

Baldus in *comm. ad l. 1. licet. 8. C. de jure delib. hac de*
re ita differit: quarto quereritur, delata erat hereditas ma-
tris filiae ex testamento, modo filia non adiuit intra 30.
annos ex testamento, vult adire in alios 30. ab intestato,
quereritur, numquid posſit? & videtur quod sic, quia
cauſa testamenti deficiente de nouo incipit naſci cauſa
intestati, ergo non est ei præscriptum, & hoc videtur
verum & consultum fuit per Bartolum in simili quæſti-
one. Dicit ipse, quod filia posſit adire hereditatem

matris ex capite liberorum, exclusis transuersalibus. Modo pone, quod per 30. annos non adiuit ex capite liberorum, numquid habet alios 30. annos ad adeundum ex generali capite legitimorum? dicit Bartolus, quod sic, & sic dotem matris consequi poterit & petere usque ad 60. annos, nam ex quo potest adire, poterit agere ut heres, donec enim hereditas jacuit, non incipit contra eam præscriptio cursum suum, & ideo contra actionem de dote, quæ est hereditaria hereditatis maternæ, interim, dum matris hereditas jacuit, præscriptio non currit, nec contra hereditatem, quia jacuit: nec contra filiam, quia nondum heres erat. Probat, pergit, Bartolus primum dictum, quia sicut se habet annus de jure prætorio, sic se habent 30. anni de jure ciuili, ergo &c. ut f. de success. edit. l. i. §. sed videndum. Quod vero interim jacente hereditate præscriptio non incipit cursum suum, notatur de temp. in int. ref. l. ea que in f. Tene ergo, concludit Baldus, menti ista dicta, quæ sunt multum memoriaz commendanda & maxime in filiis utilia in successione parentum. Effatum Baldo dignum!

§. XIX.

Adlegantur adhuc alii ex veteribus, v.g. Jason ^{ad 1,}
^{3. n. 7. seqq. ff. de adquir. hered. a Carpzouio} aliisque, sed
 necessarium non putabimus, ut omnes & singulos ex-
 cuperemus. Unum si noueris, omnes cognoueris. Ex
 recentioribus hanc sententiam præ aliis fouet modo no-
 minatus Carpzouius p. 3. c. 14. def. 30. ex qua in præsentि
 ea, quæ a n. 1. ad 4. habentur, adducere utile erit. Quod
 successorio, inquit, prætoris edicto constitutum reperi-
 tur, ut filius, qui a petenda intestati patris bonorum pos-
 ses-

sessione ex capite unde liberi tempore exclusus est, sibi
ipſi succedat, possitque petere ex capite unde agnati, vel
unde legitimi, postremo ex capite quoque unde cognati, l. i. §. sed videndum & tot. tit. de success. edict. §. placebat.
2. haf. de legit. agnat. success. illud ab interpretibus ad ci-
viliſ quoque ſucceſſionis jura protractum eſt, ut filius,
qui intra primos trīginta annos hereditatem parentis a-
gnoscere noluit tamquam filius, poſſit intra ſequentes
alios trīginta annos adire ut agnatus, tum iis quoque e-
lapis, intra totidem alios tamquam cognatus, ſiue de
paterna, ſiue materna, ſiue etiam de auita hereditate a-
gatur, Bald. & DD. in l. licet 8. C. de jur. delib. Consentien-
tem habet Johann. Philippi jam ſupra §. XVI. a nobis
citatum, & quem ipſe allegat, Matth. Wefenbec. vol. I.
conf. u. n. 44. B. Strykius de ſucceſſ. ab inreſt. diſſ. g. c. 2. §. 39.
adhuic in horum clafsem refert Barry de ſucceſſ. l. II. tit. 2.
n. 4. Ant. Gabriel. de præſcript. concl. g. n. 3.

§. XX.

Fatentur tamen illi DD. ipſi, doctrinam de præſcri-
ptione 90. annorum eſſe jus ſingulare & exorbitans, at-
que adeo illud ad extraneos præter liberos extendi non
debet, Philippi uſu praet. Inst. l. 3. tit. 10. §. 2 & 4. eclog.
34. n. 8. qui Scabinos Lipsienses hunc in modum pro-
nuniaſſe refert: ob woll ſonſten nach gemeinem Schluß der
Rechts-Gelehrten Kinder ex triplici capite, unde liberi, un-
de legitimi, unde cognati zu ihrer Eltern Erbschafft, auch
binnen 90. Jahren kommen können; dieweil aber ſolches den-
noch als ein ſpecialē jus alleine den Kindern zuftehet, und auf
andere extraneos, dergleichen ihr und eure Conatricz nicht zu
extendiren; So möget ihr euch auch ſolches Kinder-Rechts
nicht gebrauchen, ſondern ihr ſeyd, dem gegebenen Ablauf ge-
mäß

möß, daß ihr erwehrte Forderung binnen 30 Jahren, Jahr und Tag gebührend gesucher, zu beweisen verbunden.

§. XXI.

Dionysius Gochosredus ad l. i. §. 6. ff. de success. edit.
Bartoli sententiam nude refert, non vero subicit,
quid ipse sentiat. Pone, inquit, filiam tricennio ex-
clusam esse matris hereditate testamentaria: Bartolus
putat, eandem inter alios 30 annos admitti ex edicto
unde liberi. Pone rursus, intra id spatium unde libe-
ri non petuisse; idem putat, eandem admitti intra a-
lios 30 annos ad petendam bonorum possessionem un-
de cognati.

§. XXII.

Brunnemannus in comm. ad l. 8. C. de jure delib. jam
dubitare cepit, utrum triplicata illa (nedum quadru-
plicata v. supra §. XVI.) DD. præscriptio genuino fun-
damento nitatur, unde sub certa conditione de illa
loquitur intra 30 annos, inquit, adiri potest hereditas,
imo addit, nec longissimi temporis præscriptione nisi
triplicata excludetur filius, si vera est sententia DD. quod
filius intra primos 30 annos ut filius, deinde alii 30
annis ut agnatus, & aliis ut cognatus succedat, ubi ad-
huc pro illa opinione citat Balbum de præscript. part. 4.
partis 4. principal. qu. 19. n. 6.

§. XXIII.

B. Strykius in tract. de succ. ad intest. diff. 9. c. 2. §. 39.
practicos quidem communiter beneficium prætorium
hereditibus suis concessum, ut licet iis ab uno capite
exclusis ad aliud adspirare, ad successionem cuiuscum
liberorum extendisse dicit; verum illud, tamquam fin-
gulare quid in puncto jurius ad hereditates & successio-
nes

nes illas ciuiles nullo modo extendi posse constanter adserit, add. idem in us. mod. ff. de adquir. vel omissend. hered. §. 3.

§. XXIV.

Nos quoque existimamus, opinionem illam non omnium, sed quorundam saltem DD. nullo plane fundamento juris niti. Quod, ut eo clarius pateat, hac methodo utemur, ut primo thesin nostram, nempe omni hereditatis petitioni triginta annis præscribi, ex jure probemus: hoc facto argumenta dissentientium intuitu hereditatis petitionis liberis competentis examinabimus & denique etiam de praxi nonnulla subiiciemus.

§. XXV.

Thesis, hereditatis petitionem lapsu 30 annorum excludi, facile probatur ex l. 7. C. de pet. hered. ubi Imperatores Dioclet. & Maxim. Hereditatis petitionem, quæ aduersus pro herede vel pro possidente exerceri potest, præscriptioni longi temporis non submoueri, nemini incognitum est cum mixta personalis actionis ratio hoc respondere compellat. Ratio itaque hic adseritur, quia hereditatis petitio est mixta & hinc personalis quodammodo; at vero actionibus personalibus 30 annis præscribitur. l. 3. C. de præscript. 30. vel. 40. annor. quæ communis sententia est. Quicunque ergo terminus præscriptionis in hereditatis petitione in genere obtinet: ille quoque in hereditatis petitione liberis competente obtinere debet, quoniam in nulla lege alius terminus intuitu liberorum determinatur & de tempore 90 annorum ne minimum quidem vestigium in corpore juris romani deprehenditur. Ubi ergo nulla exceptio, ibi inhæremus regulæ.

§. XXVI.

§. XXVI.

Accedit, quod supra §. I. diximus, præscriptionem ex communi DD. consensu in eum finem introductam esse, ut pristinorum dominorum negligentia puniatur, præsentium possessorum dominia certa fiant & sic lites tandem aliquando finiantur. Ex quo consequitur, Reipublicæ interesse, ut deficiente alia expressa legis dispositione tempora præscriptionum potius coarctentur, quam nimium extendantur. Indulgetur illi, qui jus hereditarium prætendit, spatium 30 annorum ad hoc jus persequendum hereditatemque vindicandam. Hoc spatium satis amplum est, & qui intra illud de jure suo non est sollicitus, illius negligentia merito punitur. Nulla ergo ratio adest, quæ suadeat, loco 30 annorum 90 substitui debere. Si dicis: præscriptionem 90 annorum illi, qui hereditatis petitionem instituit, fauorabilem esse, & hinc eam extendi debere; respondeo, possessori hereditatis illam præscriptionem anomalam admodum odiosam & hinc istam restringendam esse.

§. XXVII.

Hisce breuiter præmissis, ad ea deueniendum est, quæ a dissentientibus contra nostram sententiam in medium proferuntur. Antequam vero ea recensamus & simul refellamus, monendum esse duximus, quod nostro judicio Carpzouius, Philippi, ceteri, mentem veterum, præcipue Baldi, non sint adsecuti, & hinc Baldi adserta ad hereditatis petitionem ejusque præscriptionem male applicauerint.

§. XXVIII.

Scilicet illa, quæ supra §. XIIIX. ex Baldo excerpimus, liquido ostendunt, Baldum de hereditate jacente, de

de jure ipsam adeundi locutum esse. Ita dicit ille: *donec enim hereditas jacuit, non incipit contra eam prescriptio cursum suum, & paulo post: dum mairis hereditas jacuit, & denique: quod vero interim jacente hereditate prescriptio non incipit cursum suum, notatur &c.* Atqui jacens hereditas dicitur, quando nemo dominium rerum hereditiarum sibi adscribit. Audiamus Ulpianum in l. 13. §. 5. *ff. quod vi aut clam. quæstum est, inquit, si cum prædium interim nullius esset, aliquid vi aut clam factum sit; an postea deminio ad aliquem devoluto, interdictio locus sit: ut pura hereditas jacebat, postea adiit hereditatem filius.* Eadem est mens ejusdem Ulpini in l. 1. pr. ff. de success. edic. successorum editum idcirco propositum est, *ne bona hereditaria vacua sine domino diutius jacerent, & creditoribus longior mora fieret.*

§. XXIX.

Huc etiam pertinent, quæ Baldus Bartolum secutus porro adserit, (v. supra d. §. XIX.) scilicet, quod prescriptio non incipiat cursum suum contra eam (hereditatem,) quamdiu hereditas jacuit. Si Baldus de hereditatis petitione locutus esset, non debuisset querere: *an contra hereditatem, sed an contra heredem prescriptio currere incipiat?* Fatemur interim, singulare plane philosophiæ genus esse, si quis statim controversiæ de prescriptione contra hereditatem eamque adhuc jacentem cum Baldo formare velit. In quæstionibus enim de prescriptione alias semper duas personæ supponuntur, una petens, altera possidens & potenter repellere volens. Verum in prescriptione, quam Baldus in medium profert, nemo possidet, nemo a possidente petit. Lepida illa Baldi Philosophia adhuc ulterius

D

dedu-

deducitur in additam, ad comm. ad l. 8. C. de jure delib-
verba hæc sunt: quæro, an juri adeundi præscribitur spa-
tio 30. annorum, Sal. hic post Richar. de Sal. tenet, quod nec
lex ista nec gloss. hoc dicunt, nam ista lex (l. 8. C. de jur. delib.) loquitur de hereditate vindicanda, & non adeunda &
gloss. loquitur de actione, quæ relata ad text. intelligitur de
portione hereditatis, & dicit post Richard. quod motus no-
stris sunt impuniti, quia non sunt in potestate nostra, ut l. co-
gitationis ff. de pœnis, ergo nec voluntas adeundi, quia est
motus animi, ut supra c. l. si auia, ergo non debet pœnam
negligentie pati. Item, nemo potest facere amplius, quam
velit, & nemo potest sibi imperare, ut l. si in fin. ergo non
possidens non præscribit, sed nullus alterius animum possidet,
ergo &c. Item, possidenti non currat præscriptio, ergo cum
iste possideat animum suum & sic jus adeundi, non præscri-
bit. Summa dictorum itaque hæc est: Nemo adest,
qui hereditatem, de qua queritur, possideat: ille au-
tem, cui hereditas ita delata, animum adeundi non-
dum depositus, sed eum stilo adnotatoris adhuc possi-
det, ergo juri adeundi hereditatem non præscribitur.

§. XXX.

Euidens ergo putamus esse, quod DD. citati ve-
teres de jure adeundi vacuum, id est, a nemine possessam he-
reditatem locuti sunt, (an bene, an male, alia questio-
nem,) at vero hæc ad præscriptionem hereditatis petitio-
nis nullo modo applicari possunt. In hereditatis pe-
titione enim non supponitur hereditas vacua, sed ta-
lis, qua jam ab alio possidetur, & ubi possessor negat per-
tori illum jus insuitu illius hereditatis competere. Regu-
lariter, inquit Ulpianus, in l. 9. ff. de hered. perit, de-
fini-

finendum est, eum demum teneri petitione hereditatis, qui vel jus pro herede, vel pro possessore possidet, vel rem hereditariam. Quis autem pro herede, vel pro possessore possideat, de eo v. l.u. 12. 13. pr. ff. de hered. petiit. Ita quoque, si hereditatis petitio contra fictum possessorem instituitur, scilicet contra eum, qui dolo possidere desit, aut qui liti se obtulit, v. l. 13. §. 13 & 14. ff. d. tit. hereditas non est jacens, aut vacua, quamvis enim ipse fictus possessor non possideat, alius quispiam tamen possessionem nactus est.

§. XXXI.

Sed ponamus etiam, Baldum aliosque non solum de jure adeundi hereditatem jacentem, sed quoque de hereditatis petitione aduersus possessorem instituenda locutus esse; ipsorum tamen opinio omni fundamento destitueretur. Agedum videamus. Baldus supra §. XIX. hoc unico utebatur medio termino: quia sicut se habet annus de jure prætorio, sic se habent 30. anni de jure ciuitatis. Eadem chorda oberrat Carpzouius p. 3. c. 14. def. 14. & reliqui supra §. XIX. citati. Dicebat enim Carpzouius: quod successorio editio prætoris constitutum reperiatur illud ab interpretibus ad ciuilis quoque successionis iura protractum est.

§. XXXII.

Nos ab uno anno prætorio ad 30. annos juris ciuilis consequentiam procedere simpliciter negamus. Est illud argumentum a baculo ad angulum, a diuersissimis ad diuersissima. Edicti successorii æquitas ex eo potissimum proficiuntur, quod admittendæ bonorum possessionis tempora sint breuisima, ne bona hereditaria vacua sine domino diutius jacerent, & creditoribus lon-

gior mora fieret, l. i. pr. ff. de success. edict. tempus autem petendæ hereditatis est longissimum & ergo a breuissimo ad longissimum DD. argumentantur. Nihil sane bono prætoris proposito tam contrarium excogitari potest, quam si exinde inferatur, quod hereditas per nonaginta, vel per centum & viginti annos jaceat, quod proflus alienum a mente prætoris fuit, v. Anton. Faber in C. l. 6. tit. ii. def. 3. qui autor in tractatu de error. pragmat. part. i. decad. 3. error. 8. ex eodem fundamento dicit, quod neque ratione additionis hereditatis jacentis, de qua supra §. XXIX & XXIX. ab uno anno prætoris ad 30. annos juris civilis consequentia procedat.

§. XXXIII.

Jam ante nos Vir illustris Dn. Henricus de Cocceji in disp. de eo, quod justum est in dubio sed. 6. §. 9. & post eum filius itidem illustris Dn. Samuel de Cocceji in jure conrouersio ciuili ad tit. ff. de hered. petit. qu. 22. optime monuit, confusa hodie esse agnatorum & cognatorum nomina ac jura, & pariter eos succedere, nec esse amplius diuersos ordines unde agnati, deinde cognati succedunt. Audiamus ipsum Justinianum in nou. 118. c. 4. nullam vere, inquit, volumus esse differentiam in quacunque successione, aut hereditate, inter eos, qui ad hereditatem vocantur, masculos ac fœminas, quos ad hereditatem communiter definitius vocari, sive per masculos, sive per fœminæ personam definiuntur: sed in omnibus successionibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare præcipimus, sive per fœminæ personam, sive per emancipationem, sive per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur, Et omnes sine qualibet hujusmodi differentia, secundum proprium cognationis gradum ad

ad cognatorum successionem ab intestato venire præcipimus.
Nullum igitur fundamentum adest, quod diuersa adhuc
sit succellio ex capite agnationis & cognitionis & quod
ex diuersis illis capitibus duplicata adhuc detur heredi-
tatis petitio.

§. XXXIV.

Contradicitionum quoque plenam esse adsertionem de triplicata hereditatis petitione idem Vir illustris ostendit. Succedendi ordines hodie non distinguuntur liberorum qualitatibus, sed *descendentium, ascendentium & collateralium ordinibus.* Nec potest ideo, qui est filius patris sui, ejusdem etiam *ascendens & collateralis esse*, eidemque ut ejusdem & filius & *ascendens & collat-*
ralis succedere, siue patris pater, frater vel patruus
videri. Nec jam per naturam fieri potest, ut filius, qui exclusus est ab ordine liberorum, deinde (existentibus defuncti *ascendentibus*) ut agnatus, vel cognatus succedere possit, quoniam *ascendentes eos* præcedunt, nec jam liberos sequitur ordo cognatorum, sed parentum, nou. u8. c.3. 4. si parentes non extant, pri-
or responsio recurrit, quod filius sui ipsius frater esse
nequeat.

§. XXXV.

Nec hoc prætermittendum erit ex mente ejusdem viri illustris d. secr. o. §. 9. scilicet si successorum edictum ad successionem ciuilem & in specie hodiernam recte applicari potest: sequitur exinde sine dubio, ut quoque non soli liberi, sed & omnes agnati duplii jure veniant, agnatorum scilicet & cognatorum, & illi lapsu LX. anno

rum demum excludantur, in successione ciuii enim inter successionem liberorum & agnatorum nulla est differentia, nisi ratione ordinis. Atvero ex communis adseritione eorum, qui nonageniarium præscriptionem cre-
rant, falso est posterius, ergo & prius falso sit, necesse
est.

VXXX

§. XXXVI.

Et quomodo quæso, DD. loco trium annorum no-
naginta substituere potuerunt, cum nec in iure prætorio
ipis liberis quoad successorum edictum tres anni indu-
geantur. Primo enim bonorum possessionem agnose-
bant ex capite unde liberi, & hic annus ipsis proximitus
deinde vero unde agnati, & hic centum, ultimo ex ca-
pite unde cognati & hic iterum centum dierum spatii
um statutum erat. Audiamus ipsum imperatorem in
§. 4. Inst. de bonor. possess. cum igitur, inquit, plures species suc-
cessionum p[re]tor introdūsset easque per ordinem dispositiss[er],
& in unaquaque specie successionis saepe plures extent dispari-
gradu personæ; ne actiones creditorum differrentur, sed habe-
rent, quos conuenirent, - ideo petenda bonorum possessio
certum tempus definiuit. Liberis itaque & parentibus, tam
naturalibus, quam adoptiis, in petenda bonorum possessio
anni spatium, ceteris autem agnatis, vel cognatis centum die-
rum dedit. Omnia hæc tempora utilia sunt ratione initii,
I. 2. pr. ff. quis ordo in possess. serv. Cum itaque nulla plane
proportio inter annum & centum dies deprehendatur,
qua ratione nihilominus pro centum diebus & que ac pro
anno semper triginta anni substitui potuerunt nulla cer-
te ratio adest. Evidem Michael Grassis recepi. sent.
I. 2. §. bonorum possessio. quæ 7. n. 2. existimat, filio annuum con-
cedi

cedi, ex quoconque capite veniat; & glossam tamquam testem adducit; verum glossæ autoritas nihil valet, ubi dispositio legum contraria adest, qualis hic deprehenditur. Leges enim agnatis centum, & cognatis totidem dies solum concedunt, non vero singulis annum. Ergo si filius succedit ut adgnatus, non plus juris habere potest, quam adgnatus, utpote ex eius jure vult succedere. Qui succedit in locum, succedit in ius, nec plus, nec minus juris habere potest, quam alter habuit, in cuius locum succedit, conf. B. Stryk. *de success. ab intest. diss. g.*

c. 2. § 34.

§.XXXVII.

Absurdum itaque est statuere velle, quod hereditatis petitio liberis ratione hereditatis paternæ, aut maternæ competens nonaginta annis defrui exspiret. Magis vero absurdâ altera opinio supra §. XVII. recensita, illi centum & viginti annis denrum præscribi, quando suus heres in testamento patris heres institutus fuit. Nam hereditatum successorium, si prætoris mentem & edicti potestatem inspicias, non pertinet, nisi ad bonorum possessiones ab intestato, non vero ad successiones ab intestato juris civilis, multo minus ad testamentariam. Ostendit hoc ordo titulorum & materiarum in pandectis. Ita enim Ulpianus in l. 1. pr. & §. 1. ff. si tabul. test. null. existat. postea- quam, inquit, prætor locutus est de bonorum possessione ejus, qui testatus est: transitum fecit ad intestatos, eum ordinem secundum, quem & lex duodecim tabularum sequuta est. Tunc enim ordinarium ante de iudiciis testatorum, dein sic de successione ab intestato loqui. Sed successionem ab intestato in phares par-

partes diuisiſt. Fecit enim gradus varioſ , prium liberorum, ſecundum legitimorum, tertium cognatorum. Poſt adductum itaque titulum ſi tabule testamenii nulla expabant, unde liberi ſequitur, deinde tit. VII. unde legitimi & porro tit. IIX. unde cognati, poſtea ſubneceſſit tit. IX. de ſuccelforio edicto. Pluribus hoc intuitu quæſitionis: an ſuccelforium edictum in querela inofficioſi testamenti an locum habeat? deduxit Ant. Faber. de error. pragmat. decad. 29. error. 5. & nouiffime illuſtr. Dn. Samuel de Cocceji in jure controu. tit. ff. de inoffic. testam. qu. 17. conf. B. Stryk. de ſuccell. ab intell. diff. 9. c. 2. §. 38.

§. XXXIX.

In gratiam eorum, qui autoritatibus multum trivbuunt, monemus, noſram ſententiam, quæ præſcriptiōne nonagenariam rejecit, non eſſe ſingularem, ſed celeberrimorum quoque JČtorum autoritate ſuperiſtrātam. Laudauiimus jam in, præcedentibus §§, illuſtres Coccejos, patrem & filium, Antonium Fabrum, B. Strykiūm. Plures paulo poſt dabamus, præcipue §. XLII, ubi de praxi hodierna traclatio inſtituitur,

§. XXXIX.

Concludimus ergo cum illuſtri Henrico Coccejō in eis. diſp. de eo, quod iuſtum eſt in dubioſeſt. 6. §. 9. in fin. proſuſ neceſſarium eſſe, ut ſacri quaſi oraculi loco habeatur regula: tamdiu retinendum eſſe iuſ commune, (uixta quod omnis petitio hereditatis 30. annis expirat,) donec illud contraria praxi mutatum probetur. At inquit Carpozouius, d. p. 3. c. 14. d. 30. n. 7. ſegg. Praxis eſt pro præſcriptione nonagenaria. Adponamus ipſa eſt iuſdem verba. Sufficit, hanc ſententiam ſupremarum curia-

curiarum decretis innumeris fuisse comprobata, teste ipsomet Fabro d. G. def. 3. Quibus consequens, præscriptionem 30 vel 40. annorum hoc casu contra liberos non currere, sed demum ex spatio prescriptionum triplicato, nempe 90 annorum, hos a petirione paternæ, maternæ, vel auctæ hereditatis excludi, glossa & DD. in l. 1. C. qui admits. & in l. licet C. de jure delib. Balbus in tractat. de præscriptione p. 4. part. quart. pr. qu. 19. n. 5. Jafon in l. 3. n. 7 & segg. ff. de adquir. hered. Matth. Welsb. vol. 1. cons. n. n. 44. Cumque jure Saxonico de hoc nil aliud expresse sit constitutum, cur stare prohibetur in foro Saxonico dispositio juris communis, quæ non mutata reperiretur? l. sancimus. 27. C. de testam. l. precipimus. 32. C. de adpellat. Est enim jus statutarium Saxonicum ita interpretandum, ut quam minimum latet, dat jus commune, Baldus & DD. in l. 2. C. de noxal. action. Welenbec. dict. loc. Subiect quoque Carpzouius sententias Seabinorum Lipsiensium. Una ex illis ita sonat: Ob ihr nun gleich nach euer Groß-Eltern tödlichen Abgänge, dreißig Jahre habt verfliessen lassen, und euren gebührenden Anteil der Erbforderung nicht gesucht; dieweil aber dennoch nach gemeinem Schluss der Rechtsgelehrten ein Kind ex triplici capite: unde liberi, unde legitimi, unde cognati, zu einer Erbschafft, davon eure Frage meldet, kommen kan; So habt ihr euch auch an obgedachter Erbtheilung ungeachtet, daß 30. Jahr verflossen, nicht verschwiegen, sondern ihr werdet nunmehr ex capite unde legitimi billig dazu gelassen,

D R. B.
§. XL.
Relinquimus Carpzouiana Carpzouio, quando
v. g. dicit, stare dispositionem juris communis (scilicet de
E præ-

præscriptione 90. annorum) in foro Saxonico debere, que non reperitur mutata, demonstrauimus enim, jus commune hanc præscriptionem, vel si maius, præscriptioonis monstrum, plane ignorare. Credimus etiam, multa decreta eo tempore, quo autoritas Carpzouii in Saxonia electorali præualebat, ad ipsius mentem concepta fuisse; dubitamus vero, an innumera illa fuerint. Et si innumera fuerunt, nos ea numerare non possumus. De hoc ergo solam videamus, quid ^{hodie} in praxi obtineat.

§. XLI.

Videbimus autem, a temporibus Carpzouii ad tempora hodierna non valere consequentiam. Illustris Dn. Samuel de Cocceji in *jur. controuers. ad tit. ff. de hered. petit. qu. 22. in f. testatur*, sententiam in hac nostra dissertatione defensam in curia Halberstadiensi pluribus præjudicis corroboratam, & sic tempore 90. annorum opus non esse, sed spatium 30 annorum sufficere. B. Sam. Strykius *uf. mod. ff. de adquir. vel omitt. hered. §. 3. in Dicasterio Hannoveranob* etiam contra præscriptionem nonagenariam pronunciatum fuisse refert, v. g. d. XIIIX. Jan. A. 1704. ibi: daß Beklagte, ^{bevorab} da denen Klägern die Verjährung im Wege stehet, auch die von Klägern angeführte Meynung einiger Rechts-Lehcer (ie præscriptione 90. annorum) so wenig in denen gemeinen Rechten gegründet, als bey hiesigen Gerichten obseruire: von der wieder Sie angestellten Klage zu absoluiren seye, & eodem tempore in pari causa, ibi: auch die von Klägern, um die ihnen entgegen stehende vorlängt verhanden gewesene Verjährung abzuwenden, angeführte Meynung, daß zehnlich Kinder 90. bis 110. Jahr lang Zeit und Besigunß hätten.

hätten, Elterliche Verlassenschaft in Anspruch zu nehmen, so wenig in gemeinen Rechten fundiret, als bey hiesigen Gerichten hergebracht, &c.

§. XLII.

Eodem modo respondit *Facultas Juridica Hallensis* P. Strykius *loc. cit.* integras sententias & rationes decidendi adduxit, nos ex illis quædam saltem excerptemus. Ita vero ibi: im übrigen die Haupsach auff die bekante Frage ankommt: ob die præscriptio ordinaria triginta annorum auch in successione librorum zu betrachten, welches billig zu adseriren, zumahl man so lange bey der Regel verbleibet, donec exceptio probata fuerit, die fundamenta contraria sententia auch so beschaffen, daß in decidendo wenig darauff zu reflectiren seyn mag, anerwogen man dadurch behaupten will, quod liberi triplicatum jus succedendi habeant, ita ut primum ex capite unde liberi, secundum unde legitimi, tertium unde cognati sit, welches man zwar de jure prætorio, & bonorum possessione zugeben kan, gleichwohl daraus keine triplicata præscriptio civilis erfolget, vielmehr die Kinder, so ferne sie ex jure prætorio succedieren wollen, nach den terminis Prescriptionum¹, so in bonorum possessionibus angenommen, sich richteten müssen, welche eine gar kurze Zeit ausmachen, wie denn deswegen solche Meinung von andern berühmten Rechts-Lehren als erronea verworffen wird, Fab. in C. lib. 6. tit. 11. def. 3. Peretz. in C. tit. de jur. delib. n. 35. Donell. ad l. 8. C. de jur. delib. Bachou. ad Treutl. vol. 2. disp. 12. th. 5. litt. c. Esbach. in Carpz. p. 1. C. 14. def. 30. Und obgleich die Kinder ipso jure heredes sind, gleichwohl nunmehr, nachdem sie das beneficium abstinenti haben, auff die immixtion vornehmlich zu sehen, quæ additioni & equiparatur, und also auch binnen 30 Jahren præscribitur werden mag, im übrigen, daß contraria sententia in praxi recipiret sey, zwar von etlichen adserir wird, gleichwohl nicht völlig mag dargethan werden, cum potius pro jure

constituto præsumatur, auch testimonia quorundam DD. uniuersalem praxin nicht woll behaupten können, besonders in judiciis Hannoveranis, alwo das jus ciuile speciali editio gänglich angenommen, mithin so lange darnach erkant werden muß, donec contraria obseruantia doceatur, welche sich doch nicht finden wird, da vielmehr aus denen acten und darinnen be- findlichen, judicatis das contrarium erhellet,

§. XLIII.

Intuitu reliquarum provinciarum Germaniae ea- dem regula adPLICANDA erit, quæ in illis rationibus deci- dendi adducebatur, quod scilicet tamdiu juxta jus com- mune pronunciandum sit, donec obseruantia coatraria probetur. Silent vero omnia jura statutaria, quæ nobis euoluere licuit, de præscriptione nonagenaria, unde pro ea, quæ triginta annorum est, merito præsumi debet et iam quoad praxin. Evidem praxis interdum cum ge- nuinis juris principiis adcurate non conspirat; verum praxin ab illis principiis recessisse, in dubio non præsu- mitur.

§. XLIV.

At, inquit Carpzouius in *Saxonia* illa sententia, quæ hereditati paternæ terminum 90. annorum statuit, innu- meris curiarum decretis est comprobata, v. supra §. XXXIX. respondemus iterum, à temporibus Carpzo- ui ad tempora hodierna non valere consequentiam, & hanc nostram adsertionem ex celeberrimis Jctis Saxo- niciis hodiernis probabimus, adductis hunc in finem pro- priis eorum verbis.

§. XLV.

Illustris Bergerus in *oeconom. jur. l. 2. tit. 4. §. 54. not.* sequezia habet: Hereditatis petitioni ciuili præscri- bitur

bitur triginta annis, nec minus in liberis, quam in extraneis; una enim omnibus competit petitio hereditatis. Enim uero sunt, qui putant, contra liberos hereditatis petitioni demum præscribi quadraginta (nonaginta) annis: immo interdum centum & virginem, eo scilicet casu, cum liberi a patre heredes testamento fuerint instituti. Inquiunt illi: triplicem, & interdum quadruplicem concurrere respectum, (1) testamenti, (2) fuitatis, (3) agnationis, (4) cognationis, atque adeo triplicem etiam, immo interdum quadruplicem ejusmodi liberis competere hereditatis petitionem, ita quidem, ut altera alteri succedat, atque adeo omnes distinctis egeant præscriptionibus, ducto imprimis argumento a bonorum possessione triplici, (1) unde liberi (2) unde legitimi, (i. e. agnati,) (3) unde cognati, Carpz. p. 3. 14. 30. & Philippi us. præf. Inst. lib. 3. eclog. 34. sed idem illud argumentum hue non quadrat, propterea, quod una bonorum possessio ad annum est adstricta, hereditatis autem petitio tricennaria. Igitur a remedio juris prætorii ad civile minus recte arguitur. Quamquam vero Carpzouius præjudicia suæ sententiae adferat, ea tamen hodie constanti collegiorum Saxonorum electoralium consensu, reprobatur. Duxi l. 1. resp. 299. Eadem quæstio in causa Christoph Weydenß, contra Annen Kriegschein und consorten coram tenatu Bitterfeldensi acriter mouebatur, coque, quem prædicti, modo in Facultate Wittenbergensi definiebatur, mens. Jul. A. 1709. Paria habet in euolut. LL. obstant, ad tit. ff. de success. edid.

§. XLVI.

Contentit celeberrimus Wernherus *in obseru. fo-
renſ. part. 1. obs. 55.* Hereditatis petitio, inquit, cum non
mere realis, sed mixta aetio sit, triginta annorum lapsu
extinguitur, *i. e. C. de hered. petit. cui tempori in Saxo-
nia annus & dies adjicitur, Carpzou. p. 2. c. 3. d. 10. n. 1.*
Equidem DD. nonnulli statuunt, eo casu, quo actor
tam ex testamento, quam ab intestato adire potuit,
præscriptionem 60 annos complecti. Quorum opi-
nio, sicut omni juris fundamento destituitur, & arg.
I. i. §. n. de success. edit. nil quidquam adjuvatur; ita me-
rito eandem usus fori rejicit. Ita ordo Witenbergen-
sis mens. Majo. A. 1704. consultus a J.S. verb. sent. Wenn
gleich die petitio hereditatis auf Sächsischen Boden nach ab-
lauf 30 Jahren, Jahr und Tag ferner nicht mit Bestande
Rechtes angestellte werden mag, in Erwegung, daß angereg-
te Zeit der 30 Jahren zu deren Verjährung in denen gemei-
nen Räys Rechten verordnet; gestalt auch die Meynung ei-
niger DD. daß in dem Fall, da der actor sovoll ex testamen-
to, als ab intestato ein Recht zu der Erbschaft hat, allererst
in 60 Jahren die præscriptio zu Ende lauft in denen Rech-
ten nicht gegründet, weniger in praxi recipiret ist. Si er-
go præscriptio 60 annorum non est in praxi recepta,
multo minus ea recepta erit, quæ 90 annorum est.

§. XLVII.

Pertinent huc ea quoque, quæ habet illustris Lyn-
cker cent. 4. resol. 399. ibi: Wann auch schon die Mey-
nung, daß ein Kind von seiner adscendentin Erbschaft nicht
eher denn nach Ablauf 20 oder wenigst 90 Jahren, prescri-
biret werde, (wie sol he unter andern auch beym Carpzo. io
III. const. 14. def. 30. eingeflossen) nicht statt finde: (wie dann
die

dieselbe verhüttlich und von dem succellorio edicto prætoris, welches ungleich kürzere Fristen nach einander, in ordinibus conjunctorum gesetzt, als das sie mit denen 30 Jahren der petitionis hereditatis ciuilis in eine Gleichheit kommen könnten, auff diese nicht zuschliessen, v. Anton. Fab. VI. c. 5. tit. II. def. 3. & Nicol. resol. II. ubi præjudicia recentia Saxonica) conf. idem cent. 3. resol. 252. ibi: Weßhalben denn auch auff die petitionem hereditatis, oder extensam præscriptionem ad 90 annos, quando de hereditate adscendens quæstio est, (welche theoria ohnedem keinen festen Grund hat,) weder in dem iesigem einbringen, da die actio hypothecaria, und nicht petitio hereditatis, mount warden, gedacht werden können, noch auff dieselbe per nouum judicium zugedachten, indem solche petitio hereditatis auff die nepotes, als extincta, nicht gebracht werden mögen.

§. XLVIII.


Atque ita sufficienter demonstratum fuisse existimo, quod nec juxta genuina juris principia, nec juxta praxim præscriptio 90. annorum detur. Abrumpo itaque hic filum & Deo ter optimo maximo pro confessis viribus immortales gratias persoluo, ac me studiaque mea gratiae ipsius in futurum quoque commendo.

F I N I S.

CO-

COROLLARIA.

- I. Lex commissoria in pignoribus merito reprobanda est.
- II. Publicianam in rem actionem mala fides superueniens non excludit.
- III. Res immobilis deponi potest.
- IV. Exceptio non numerata pecuniae etiam post biniūm opponi potest.
- V. Indebitum ex errore juris solutum repeti nequit, bene vero ex errore facti.
- VI. Actio injuriarum aestimatoria non potest cumulari cum actione criminali.
- VII. Jurisdictione simpliciter concessa, intelligitur inferior.
- VIII. Renunciatio exceptionis non numerata pecuniae non valet, licet sit jurata, & erronea: est limitatio, si juramentum de accepto nautio sit praestitum.
- IX. Inquisitus nihilominus ferre tenetur expensas, licet torturam sustinuerit.
- X. Nullus ludus jure naturae est prohibitus.
- XI. Ante traditionem rei perfecte venditae thesaurus pertinet ad emtorem.
- XII. Locatio ad longum tempus facta, nullum jus reale transfert.
- XIII. Foemina potest donare, non autem fidejubere.




ULB Halle
003 340 317

3



B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE¹⁷¹⁸
TATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
PRÆSCRIPTIONE
NONAGENA-
RIA,

QUAM
ADNUENTE DEO
IN ALMA FRIDERICIANA,
PERMISSU
AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS,
PRAESIDE
DN. JAC. FRIDER. LUDOVICI, JC^{to},
POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO
AULICO ET PROFESS. JURIS ORDIN.

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA CAFESSENDI,
IN AUDITORIO MAJORI
horis locoque consuetis
DIE DECEMBER MDCC XVIII.
publico Eruditorum examini submittet

AUTOR
JOHANNES JACOBUS SEEFELD,
PYRIC. POMERAN.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

